

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.

DECANVS
IO. GODOFREDVS
KRAVS, D.

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI
P.P. CVRIAE PROVINCIALIS, SCA-
BINATVS AC FACVLTATIS IVRIDICAE
VITTEMBERGENSIS, NEC NON IVDI-
CII PROVINCIALIS INFERIORIS
LVSATIAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO
S. P. D

De possessione in hereditate transmissa.



ORDINIS IUDICII

ACADEMIA WITTEBERGENSIS

DECAVS

IO. GODFREDVS

KRAVS D.

INCESTI INFORTIALI ET NOVI


P. R. CVRIA PROVINCIALIS SCA

IVRATVS AC FACULTATIS IVDICIAL

WITTEBERGENSIS NAC AN IVDI

PECTORI BENEVOLO

S. P. D.



po
fe
qu
co
qu
ex
de
ad
ni
con
T
acc
un
ho
AN
lev
illu
M
han
ma
sto
hal
ip
tra
rit





olo licet animo retineri queat possessio *L. 3. §. 11. & L. 6. in fin. ff. de acquir. vel amitt. poss.* longe tamen aliter se res habet, quando de ea acquirenda agitur; Hoc enim in casu nudus animus non sufficit, sed eam actu quodam corporali apprehensam, actumque possessorium realiter esse exercitum, requiritur. *L. 3. §. 1. L. 8. L. 41. ff. de acquir. vel amitt. poss.* & quidem in tantum, ut utrumque conjunctim ac copulative desideretur. Unde, si actus quidem, qui alias ad acquirendam possessionem sufficit, exercitus sit, animus vero possessionem apprehendendi deficiat, aut ex circumstantiis, ejusmodi animum non adfuisse, colligi possit, possessio, pro rite acquisita, minime habetur. Patet hoc ex *L. 1. §. 2. ff. de peric. & commod. rei vend.* ubi *ULPIANUS* refert dissensum inter *TREBATIUM* ac *LABEONEM*, quorum alter possessionem acquisitam esse asserit, si ab emptore dolium, quo vinum venditum continetur, signatum fuerit, alter autem hoc negat, cujus sententiam in dicta lege probat *ULPIANVS*, addita ratione, *magis, ne summutetur, signari so- lere, quam ut tradere tum uideatur.* Aliud exemplum illustri Dominus Ordinarius noster, *LEYSERVS*, in *Meditationibus suis ad Pandectas Vol. VII. Specim: 452.* hanc in rem adducit atque Præjudicio quodam confirmat. Alia tamen est quæstio, utrum possessio a defuncto, aut antecessore, a quo heres vel successor causam habet, rite acquisita, in heredem aliumve successorem ipso jure, non interveniente actuali apprehensione, transferatur, isque ex sola antecessoris possessione, rite acquisita, in Possessorio summarissimo defendi possit?

fit? Haud pauci magni nominis viri affirmativam sententiam defendunt, judicantes, possessionem defuncti vel antecessoris, a quibus successor causam habet, huic prodesse, tum, quod heres pro una persona cum defuncto habetur *Nov. 48. Cap. 1. maxime in jure mortis tempore jam nato L. 2. C. de heredit. act.* atque tempus aditæ hereditatis retrahendum esse ad diem mortis defuncti possessoris, monent. ex *L. 54. ff. de acquir. vel amitt. hered. L. 193. ff. eod.* ne ullo temporis momento hereditas jacuisse existimietur, *L. 38. ff. eod.* tum, quod credunt ex *Cap. 7. X. de testam.* colligi posse, possessionem bonorum, quæ penes antecessorem fuit, decedente eo, penes officium manere, atque simul cum officio hoc in successorem transferri, *MEVIVS Part. III. Dec. 92.* Addunt alii, inter quos est *SCHILTERVS ad ff. Exerct. 5. tb. 11. seqq.* quod, sicuti jure civili intuitu usucapionis possessio defuncti ipso jure profit heredi, ita multo magis moribus germanorum generaliter introductum receptumque esse, quod possessio defuncti ipso jure in heredem sine ejus corporali apprehensione transmittatur, ita, ut sufficiat sola hereditatis aditio, per nudam declarationem aut pro herede gestionem, facta, quemadmodum hanc suam sententiam laudatus *SCHILTERVS* variis textibus, tum ex jure Alemannico, tum ex jure Saxonico, defunctis, probare contendit. At enim vero, quo minus huic sententiæ accedamus, sequentia nos movent. *IVLIANVS* enim in *L. 23. pr. ff. de acquir. vel amitt. poss.* expressis verbis asserit, cum heredes instituti sumus, adira hereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio autem, nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet. Morte enim defuncti antecessoris eam prorsus extinctam esse, vel exinde patet, cum neque cor-
pore

pore amplius insitit, neque animo, qui post mortem cessat, eam continuat. *L. 8. L. 17. §. 1. L. 44. ff. de acquir. vel amit. possess.* quod vero extinctum est, transire non potest, cum non entis nullæ sint qualitates, & transitio ex una parte dimissionem, ex altera vero parte acquisitionem requirit. Patet ex his evidenter, heredem, & multo minus successorem singularem, nisi proprium actum possessorium exercueri, non gaudere remedio possessionis retinendæ, nec ex actibus defuncti possessoris manuteneri posse. confer. *POSTIVS de Manuten: Obs. ff. n. 32.* Atque de hac sententia nos non demoveant, quæ supra in contrarium sunt allata. Habetur quidem heres cum defuncto pro una persona, at in iis tantummodo, quæ per mortem defuncti non extinguuntur, per mortem vero possessoris, possessionem ipsius extinguui, jam antea demonstratum est. Quod attinet *Cap. 7. X. de testam.* ne verbulum quidem de transeunte possessione ipso iure in successorem ibidem obvenit, sed, quod post mortem illius, qui bona, per ecclesiam acquisita, percepit & obtinuit, ea, penes ecclesiam remanere debeant, disponitur, id quod de proprietate tantummodo, non autem de possessione ipso iure transferenda, intelligendum est, proprietates enim cum possessione, nihil habet commune. *CARPZOV. L. II. Resp. 53. n. 32. & L. I. Resp. 71. n. 10.* Pari modo, nec istud, quod de retrahendo tempore aditæ hereditatis ad mortem defuncti supra est monitum, aliquid ad rem facit, cum hoc itidem de jure hereditatis, non autem de ipsa possessione, per mortem defuncti extincta, est intelligendum, quemadmodum etiam textus a *SCHILTERO* adducti, tam clari atque perspicui non sunt, ut exinde possessionis translatio, ipso iure in heredem facta, satis probari

probari possit, quin potius de jure hereditario, & exinde fluente potestate, possessionem rerum hereditariorum apprehendendi, agunt, non vero, quod, sine interveniente heredis apprehensione, ipsa possessio in eum transferatur, disponunt. confer. *HYBERI Praelect. Jur. Rom. P. III. ad Tit. de A. vel A. P. §. 5. p. 371. seqq.* Hoc vero concedimus, quod, si rei corporalis possessio rite sit apprehensa, intuitu cujus a defuncto exercitii fuerint actus possessorii juris cujusdam, v. g. exactionis aut perceptionis operarum, possessor in hujus juris exigendi ac percipiendi operas possessione tandiu sit defendendus, donec alter in Possessorio Ordinario aut Petitorio melius jus deduxerit. *HEROLD. Observ. for. Consil. VIII.* Diutius, ut inhæreamus huic rei, ratio, nec temporis, nec loci, permittit, ideoque, missis his, ad eum, cujus gratia hæc a nobis conscripta sunt, transimus. Est ille Nobilissimus, Clarissimus, que Candidatus noster, *DN. CHRISTIANVS GODFRIDVS FRANCKE, Marienau Variscus*, qui, non ita pridem inter Candidatos Iuris apud nos receptus, utroque in Examine, ubi periculum sit eorum, qui summos in utroque Iure honores capefferre cupiunt, talem se probavit, ut omnium assensu dignus judicaretur, cui honores rogati deferrentur. Quo vero constet, quo vitæ initio, quibusve progressionibus usus fuerit, ipse sequentibus delineavit:

Ego *CHRISTIANVS GODFRIDVS FRANCKE* natus sum, anno salutis *MDCCLXII*, die *18. Januarii*, in *Variscie* vico *Marienau* dicto, Patre *CHRISTIANO FRANCKE*, ecclesie loci Pastore vigilantissimo, quo tamen in prima infantia orbatus sum.

sum. Mater mihi est JOHANNA DOROTHEA, natalibus ZEVMERA, femina honestissima, ex cuius cura initio, privata institutione ERHARDI, & EVLVIRTI usus, postea in Schola, quæ Plaviæ est, IRMISCHIVM, patrem, & filium, FRANCKIVM, & B. BIRKHANIVM, præceptores habui, Imprimis vero laudo M. HERMANNVM, Sacrorum in dicta urbe Antistitem, ejusque industriam in erudiendo, ut & cetera beneficia, quibus me cumulavit, veneror. Præparato ad altiora animo, Mense April. MDCCXXX, in Tabulas civium Academiae Vitembergensis relatus, a quo tempore studio tum Philosophico, tum Juridico, operam dedi, atque in illo Viros Celeberrimos Doctissimosque, CRELLIVM & HOLLMANNVM, in hoc vero, ICTOS consummatissimos, LEYSERV, BASTINELLERV, MENCKENIVM, KRAVSIVM, STVRMIVM, & beate defunctum WERNHERVM, audivi, eorumque Jurisprudentiæ scholas frequentavi. Finito triennio, sub præsidio Excellentissimi CRELLII, anno MDCCXXXIII, dissertationem, de omni culpa in negotiorum gestorum judicio præstanda, publice defendi, superatoque examine, me contuli Dresdam, ubi factò prius specimine, in numerum Advocatorum receptus sum. Vitembergam reversus, ibique in expeditionem pariter & ædes Viri amplissimi & ICTI, ingenio & fori prudentia acutissimi, D. REINHARDI, Assessoris Facultatis Juridicæ longe meritissimi, receptus, Praxin forensis exercui, ad quam felici successu instituendam laudatus Dominus REINHARDVS me singulariter juvit, utpote cujus cura, fides, & merita in me tanta sunt, quanta sunt maxima, adeo, ut ea condignis laudibus efferre nequeam. Tandem e re visum fuit, titulum & jus Licentiati ambire,

bire, & inclytus Ordo in hac Academia Juridicus, ad consueta examina me admisit. Nunc vero sum in eo, ut dissertationem, de Processu Possessorii Summarissimi, a me elaboratam, pro viribus tuear, qui actus, ut cum aliis omnibus bene succedat, Deum precor.

Hæc Candidatus noster. Nihil restat, quam, ut ultimum, idque publicum, eruditionis suæ legalis, specimen edat, atque laudatam Dissertationem, contra dissentientium argumenta, defendat. Faciet hoc proxime futuro die Jovis, sub Moderamine Viri illustris atque Magnifici DN. GEBHARDI CHRISTIANI BASTINELLERI, *Jeti celeberrimi, Sacr. Reg. Majest. Polon. ac Princ. Elect. Sax. a Consiliis Aulæ, Codicis P. P. Curia Provinc. Senatus Ecclesiast. Scabinatus ac Facultatis Jurid. Virembergensis longe meritisissimi.* Quem actum publicum, ut Magnificus DN. RECTOR, Illustrissimi DN. COMITES ac LIBERI BARONES, PATRES etiam, ac CIVES Academiae nostræ, cæterique omnes, qui his favent studiis, honorifica sua præsentia condecorare, eumque splendidiorem reddere velint, eo, quo docet, cultu, observantia ac studio, contendimus atque rogamus. P. P. Dominica Quasimodogeniti

Anno Christi Salvatoris nostri
MDCCXXXVI.

VITEMBERGÆ

TPIS IO. DAVIDIS SCHEFFLERI

VD 18


ULB Halle
001 951 815

3



TA ->OL





10

ORDINIS IV
IN
ACADEMIA VITE
H. T.
DECA
IO. GODOI
KRAV

DIGESTI INFORTIA
P.P. CVRIAE PROVIA
BINATVS AC FACVLT
VITTEMBERGENSIS, I
CII PROVINCIALIS
LVSATIAE AS

LECTORI BE
S. P. D

De possessione in hereditate

